Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Lathcen egloga de moralibus Iob quas Gregorius papa fecit - Cod. Aug. perg. 134

Lathcen

[S.l.], [9. Jh.]

[S]ibille generaliter omnes femine est dicuntur prophetantes (Beda Venerabilis: Sybillinorum verborum interpretacio?)

urn:nbn:de:bsz:31-10461

Visual Library

Sibille generaliter omnes femine dicuntur prophetantes. que ob divinam voluntatem hominibus in[illegible] et eventum [illegible] solebant. Tradunt namque auctores doctissimi .x. fuisse sibillas. Quarum prima de persis. Secunda libica. Tertia belfica. que ante bella troiana vaticinata est. Quarta cimmeria in italia. Quinta heritrea in babilonia orta dicta heritrea ab insula in qua eius dicta sunt carmina. Sexta samia a samo insula vocata. Septima almathea t cumea. Octava hellespontia. Nona frigia. Decima tiburtina grece abulnea latine vocatur. Ex cuius carminibus multa de deo et Christo scripta continentur. Fuit igitur hec sibilla priamidis regis filia. ex matre nomine hecuba procreata. Vocata est autem in greco tiburtiana. latine vero nomine abulnea. hec circuiens diversas partes orientis. asiam macedoniam [illegible] agaguldeam. ciliciam. pamphiliam et galatiam. Cumque hanc mundi partem vaticiniis suis replesset. inde venit ethiopiam. gabadam. et babiloniam. africam. libiam. mauritaniam. et palarmum. Omnes has provincias predicavit. et spiritu prophetico repleta prophetavit bonis bona. et malis mala. Sermonanque quia in preconiis suis vera annuntiavit. et que in novissimis erant ventura predixit. Audiens igitur famam principes romanorum. statim nuntiaverunt in conspectu traiani imperatoris. Mittens ergo imperator legatos ad eam. fecit eam cum magno honore deducere romam. Centum igitur viri ex senatu romano somnium unum viderunt. singuli in una nocte. Videbant in visu quasi novem esse soles in celo. qui singuli diversi diversas in se figuras habebant. Primus sol erat splendidus et fulgens super omnem terram. Secundus sol splendidior et magnus. etheream habens claritatem. Tercius sol sanguineo colore flammigerans. igneus et terribilis. ac demum splendidus satis. Quartus sol sanguine rubicundus. quatuor ex eo itinera erant meridie radiantia. Quintus sol erat tenebrosus. sanguineus. et lampas sicut in tonitruo tenebroso. Sextus sol tenebrosus nimis. habebat aculeum sicut stimulum scorpionis. Septimus vero sol tenebrosus terribilis erat et sanguineus. tetrum habens in medio gladium. Octavus autem sol effusus et sanguineum colorem habens in medio. Nonus autem sol erat nimis tenebrosus.

…BIBLIOTHEK KARLSRUHE